

VVETZILO ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS.



Vvetzilo à pueritia literis destinatus fuit. erat enim egregia indole & fœlicissimo ingenio præditus. Itaq; literarum amore Lutetiam profectus, ibidem S. Theologiæ Doctor creatus est. Is enim cum insigni eruditione etiam pietatem atq; morum innocentiam coniunxerat. Cum ergo in patriam reuersus esset, Canonicus Moguntinensis electus est. Itaq; in ea Ecclesia suis uirtutibus longè alios superauit, atq; subinde concordiæ studēs cum omnibus pacem habuit. Multoties etiam ad populum sermonem habuit, et singulari facundia homines ad pietatem perduxit. Cum itaq; Sigifridus fatis cessisset, ipse omnium consensu uicesimusquintus eius Ecclesiæ Archiepiscopus cōstitutus est. quam functionem singulari prudentia administravit.